

Satis frequenti errore genuinum πράγματα abiit in πραγμάτων. Tum pro ἐπιθύει, quod nihil est, levi mutatione scribendum ἔτι θύει; nam ἔτι coniunctum cum negatione, quae continetur praecedentibus, efficit οὐκέτι. Cum quibus egregie quadrant ea, quae respondet Carion:

μὰ Δὶ οὐδέ γε

θύει.

Nec aliter idem in eadem causa infra v. 1178:

θύειν ἔτ' οὐδεὶς ἀξιοῖ,

i. e. οὐκέτι τις. Eodem modo legitur supra v. 137:

ὅτ' οὐδὲ ἂν εἰς θύσειεν ἀνθρώπων ἔτι,

οὐ βοῦν ἂν, οὐχὶ ψαιστόν, οὐκ ἄλλα' οὐδὲ ἔν.

CICERONIS LOCUS EMENDATUS.

Mendosus est Ciceronis locus in Oratione in Vatinium XI. 27. » Ut omnes intelligent te ne recte quidem facere sine scelere potuisse, quaero, quum lex esset aequa promulgata initio magistratus, multas etiam alias tulisses, exspectarisne dum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum Clodianum, et posteaquam ille est reus factus statim tuleris *in eum*, qui TUAM POST LEGEM REUS FACTUS ESSET: ut homo consularis exclusus miser puncto temporis spoliaretur beneficio et aequitate legis tuae? ” In verbis » *in eum* QUI TUAM POST LEGEM cet.” vitium inesse Ernestus ait, negat Orellius. Utri creditis, Quirites? Vera scriptura elici potest ex loco Ciceronis pro C. Rabirio Postumo VI. 14. » Glaucia solebat, homo impurus sed tamen acutus, populum monere, ut, quum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet: si esset: DICTATOR, CONSUL, PRAETOR, MAGISTER EQUITUM, ne laboraret; sciret nihil ad se pertinere: sin autem: QUICUMQUE POST HANC LEGEM, vide-ret ne qua nova quaestione alligaretur.” Viden quid Cicero scripserit? Nempe *statim tuleris: QUICUMQUE TUAM POST LEGEM REUS FACTUS ESSET.*

C. G. C.